

IV. Die ex primæva luce produxit *Solem, Lunam & stellas*, quæ temporum vices describerent, & influxu suo inferiora hæc tum humectarent, tum calefacerent.

V. Formavit *pisces* ex aquis, & *aves* ex terra.

VI. Creavit *animalia* varii generis, repentia, gradientia, fera, & tandem *hominem* corpore elementari, & anima spirituali constantem. Eum etiam *imagine* sua ornavit, ut sapientiâ, justitiâ, ac beatâ immortalitate fulgens, & Creatorem suum referens, cœteris animalibus cum dignitate præcesset. Sexum denique distinxit, ac stabili connubio *Marem & Fæminam* junxit, quò genus suum propagando, orbem incolis repleret, agnitionem & cultum Dei veri inter homines conservaret,

VII. Quievit Deus ab opere creationis, in illis, quas condiderat, rerum speciebus acquiescens. *Sabbatum* quoque, in perpetuam Creationis memoriam, instituit, & primus exemplo sancivit.

Non multò post protoplasti seductione Diaboli, Creatoris sui legem transgreſſi, se ipsos, & universam simul posteritatem suam in peccatum & mortem præcipitârunt, quæ prima labes generis, prima miseriæ humanæ origo fuit. Hæc de Creatione.

Ecclesia est populus Dei, vocazione ipsius per verbum collectus, & à turba impiorum segregatus ad communionem gratiæ ac gloriæ.

Estque